

FRANCISCI PATRICII  
PANCOSMIAS,  
LIBER TERTIUSDECIMUS  
*CÆLUM AN SIT UNUM.*

Verum nos qui Astronomorum tot homocentricos, tot eccentricos, tot epicyclos, tot sydereos, tot syderibus carentes, seu orbis, seu cœlos, uti deliria sumus ridere ausi, quid de nostro ingenio, in hanc philosophiam afferre audebimus? Quod illi non rideant, et quod revera non sit ridendum? Res forsitan temere derisa, est nobis vel restituenda, vel compensanda. Utrumque ut apparet perardui laboris. Sed est nobis labor omnis superandus, ne levitate animi, sed veritatis studio, illa risisse videamur. Quid igitur agendum? Non assentiris inquiet, in tot orbis cœlum esse divisum? Id ne, ratione numeri, an ratione divisionis? Ratione equidem utraque. Neque enim numerum cœlorum probamus. Neque cœlum esse divisum consentimus. Unum igitur est cœlum? Unum profecto. Nam quod Theologi possent obiicere, in sacris *Bibliis*, legi, cœli cœlorum. Aquæ quæ super cœlos sunt, et similia. Theologi iidem facile diluunt, Hebraicam esse phrasin. Eo quod sacra lingua, singulari cœli numero careat. Et semper plurali proferat. Itaque hos revereamur. Cum philosophis modo agamus. Non octo esse cœli orbis, non plures contendimus. Unum tantum esse cœlum asseveramus. Illudque integrum, et totum sibi continuum, in nullos divisum orbis. Id autem ex nostris demonstratis: exque impossibilibus, quæ divisionem consequuntur, et absurditatibus aliis, in probationem deducemus. Ac primo ex nostris fundamentis ita dicimus. Mundus corpus est. Id fatentur omnes. Corpus omne, suis constat principiis intrinsecis, vel uti vocant elementis. Talia principia, atque elementa corporum omnium, esse quatuor, et posuimus, et demonstravimus. Spacium, quo trino, omne corpus constat. Lumen, quod corpora omnia se ipso inficit. Fluor, qui corpora omnia constituit. Et calor, qui corpora omnia e fluore constituta, et format, et vivificat. Hæc singulis suis locis omnia fient manifesta. Quatuor hæc, ad extera, esse infinita demonstravimus, ad intera atque ad centrum esse finita. Spacium universa occupat. Tria reliqua universum occupant spacium. Ad centrum omnia pertingunt. Ad extera per spacium totum, quaquaversum extenduntur. In spatio hoc, e fluore per calorem lumenque primum corpus probavimus fuisse constitutum, Empyreum mundum. Qui omnia quatuor hæc esset. Quatuor hic totus essent Empyreus mundus, qui ea in se veluti absorberet. Et illis sese, et constitueret, et nutrirer, et conservaret. Et illa itidem in se aleret, et servaret. Et mutua sese, et nutritione, et conservatione foverent. Et sicuti spacium sui natura, et partibus et toto, est immobile lumen quoque et calorem, et fluorem universos immobilia esse fuit necesse. Quo enim abirent? Et ideo Empyreum quoque esse loco immobilem est necesse. Nullus enim locus alius superest, in quem transeat. Nam si moveretur, vel in se, vel extra se moveri esset necessarium. At ut extra se abeat est impossibile. Locus enim nullus est, ad quem moveatur, aut ad quem pervenire possit. Totum enim spacium occupat. Spacium autem occupat omnia. In se vero cur moveatur? Aut quomodo? Partibus ne, an toto. Non toto. Ubi enim in se, toti sibi locum inveniat? Non partibus. Quæ aut toti, et sibi ipsis sunt similes: aut sunt a toto, et inter se dissimiles. At quomodo sunt dissimiles in primæva Empyreï natura, quando adhuc nihil in eo aliud sit, quam ipse solus. Sunt ergo partes, et toti, et sibi invicem similes omnes. Si similes, altera in alteram agendi nullas habet vires. Si in se invicem non agunt, neque se se pellunt, neque se se trahunt, aut vehunt, aut proiciunt. Si hæc, aliæ non agunt, aliæ non patiuntur nullæ a loco sibi proprio discedunt. Si nulla discedit, nulla etiam movetur, aut dimovetur. Immobiles ergo sunt omnes. Immobiles ergo totus est Empyreus, et ad extera, et ad intera ad centrum usque. Quod si forte rationes demonstrent cœlum sive ætherem Chaldaicum. (nam de Orphico iam constat esse idem cum Empyreïo) esse Empyreï partem, demonstratum quoque erit, eum non moveri, eum esse immobilem. Et si immobilis sit, non moveri in circuitum. Non moveri ab oriente, in